EPISTOLA

Excellentissimi Illustrissimi & Reverendissimi Domini Josephi Comitis GARAMPI Archiepiscopi Berytensis, Sanctissimi Domini Nostri Domini PII Divina Providentia PAPÆ VI. & Sanctæ Sedis Apostolicæ in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ, cum Facultatibus Legati de Latere NUNTII, ad Admodum Reverendos Patres Priores Provinciarum & Conventuum Ordinis Prædicatorum in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ existentium. Data Varsaviæ Die 10. Martii 1775.

Etsi scio tristissimum me vobis, Reverendi Patres, nuntium allaturum ex obitu Clarissimi Viri, & eximii nostro ævo ornamenti Ordinis vestri; tamen quoniam interest, & vestræ caritatis Fratrum animas hac luce defunctas precibus apud Omnipotentem DEUM sublevare, & virtutis vestræ præclara eorum exempla desumere atque imitari, non dubitavi, quin certiores quoquo modo Vos facerem.

Pater Bernardus Maria de Rubeis celeberrimus hic Vir est, qui ante diem V. Kalendas Februarias mortem cum vita commutavit. Satis est eum vobis nominasse, ut statim sentiatis, quanto eius desiderio teneri debeatis. Nota enim non vobis modo, sed universæ Europæ est summa ejus in divinis humanisque literis doctrina, acre ac prudens in iis pertractandis iudicium; tum ea denique pro Religione ac literis assiduorum laborum studiorumque monumenta, quæ plurima nobis reliquit. Ad hæc accedebat mira hominis modestia, caritas, Religiosæ paupertatis ac Regularis observantiæ servandæ diligentissimum studium: quæ omnia cum tanta eruditione, tantisque laboribus, præclarè ab ipso copulata, dignum præsentibus & posteris statuerunt exemplum, quod sectarentur.

Nulla penitus inter diei horas inveniebatur, quam is otio relinqueret. Quidquid supererat temporis à Religiosi pientissimique hominis officiis, totum studiis impendebat. Consortia hominum, si vacua instructionis, vel propriæ, vel alienæ, omnino vitabat. Nihil à constanti hac vitæ methodo ad extremum usque spiritum per integros septuaginta Religiosæ suæ vitæ annos eum unquam revocavit. Valetudinem sola sobrietate, eâque adeo arctâ sustentabat, ut perpetuum veluti jejunium sibi indixisse videretur: nullo enim alio pacto assiduum studiorum laborem sustineri posse iudicabat. Tali vitæ ratione ad extremam usque senectam perveniens, nihil de assuetis laboribus remiserat, nec nisi quinque ante obitum diebus manum de tabula retraxerat. Nunquam vivere sibi visus est, nisi quidquid virium haberet, totum Ecclesiæ utilitati & proximorum instructioni consecraret. Licet enim venerabilis senex octo supra octuaginta annorum ætatem ageret, cum tamen de modo præsentiæ Realis JESU CHRISTI in Eucharistia explicando præclara multa congessisset, novum de ea re Tractatum aggressus est, quem morte interceptus posthumum suis Fratribus reliquit.

 En

En igitur hominem de Religione, de Literis, de Ordine vestro optimè meritum, quem precibus vestris enixè commendo, Reverendi Patres: en exemplum quod vobis ad imitandum propono. Atque ut ornatiorem de ejus virtutibus notitiam habeatis, exemplar Epistolæ, quam Admodum Reverendus Pater Joannes Maria Contarenus Collegii Sanctissimi Rosarii Præses ad Congregationem suam dedit, hisce literis subijcio, ejusque officii ac pietatis sensibus meos quoque conjunctos esse maxime volo. Etenim si cohortatio mea, ut demortui hominis animæ preces vestræ suffragentur, & pium & justum officium est, debitumque veteri amicitiæ, quæ inter me ac Religiosum Virum intercessit; eo etiam spectat, ut vos excitet ad tanti Viri persequenda vestigia.

Tali igitur proposito exemplo inflammentur Juvenum animi ad magis magisque proficiendum in humanis divinisque literis: augeant si opus est sedulitatem, tum Magistri in iis erudiendis, tum Superiores in institutionis opere tam salutari ac necessario coadjuvando, atque in omnibus familiis suis pro viribus promovendo. Singuli denique in eam curam certatim incumbant, ut vocationis officia ac munera accuratè adimpleant, & tanquam veri filii S. Patriarchæ Dominici, atque Angelici Doctoris Discipuli, universæ huic nationi exemplo ac doctrina præluceant, & Ecclesiæ, reique publicæ utiliores in dies reddantur.

Quæ omnia, opera consilio & authoritate quâ pollebat in Congregatione sua, maximè præstitit Vir Clarissimus piæ memoriæ. Hinc ex ejus schola prodière is idem, quem honoris caussa nomino, Pater Contarenus, PP. Daniel & Nicolaus Concina, PP. Patuzzi & Finetti, & qui ex eadem Congregatione Ordinem vestrum universamque literariam rempublicam nostro ævo præclarè ornat, P. Antoninus Valsechi princeps sacrarum literarum in Gymnasio Patavino Antecessor, ac Operis de *Fundamentis Religionis & Fontibus impietatis*, apud bonos ubique gentium celebratissimi, nec unquam satis digne laudandi auctor, cuius benevolentia & familiaritate maxime glorior ac delector.

Iisdem igitur vestigiis & Vos insistite. Mihi vero dum Vobis etiam atque etiam commendo animam hominis præstantissimi, mihique amicissimi, fratris vestri illustris, ac Viri in literaria republica Clarissimi, gratum maxime est, novum hoc Vobis dare testimonium amoris studiique mei erga inclytum Ordinem vestrum, omnesque ejus Instituti sectatores; ac DEUM O. M. etiam atque etiam precor & oro, ut Vos, Reverendi Patres, dignos reddat, qui tantum Virum accuratè imitemini atque exprimatis.

Legatur Epistola hæc omnibus Fratribus in unum collectis, ac peculiares preces et suffragia pro defuncti Animæ requie indicantur. Valete. Dat. Varsaviæ hac die 10. martii anni 1775.

E P I S T O L A

Admodum Reverendi Patris Joannis Mariæ Contareni Rectoris Collegii SS. Rosarii Congregationis B. Jacobi Salomonii Ordinis Prædicatorum ad Superiores Conventuum ejusdem Congregationis. Data Venetiis die 4. Februarii Anni 1775.

IN funere Clarissimi Viri R. Adm. P. L. Bernardi Mariæ de Rubeis, quod ex fraternæ, quo adstringimur, caritatis vinculo vobis de more nunciamus, diro sauciati vulnere, & amaro perciti dolore cum Propheta lugemus: *conversus est in luctum chorus noster, cecidit corona capitis nostri.* Abiit ille quidem ad plures grandævus, & qui, ut ipse iam moriturus dixerat, satis superque

sibi

ſibi vixit, quippe qui octuageſimum octavum annum a viginti diebus explevérat; at immaturè, & nimium propere nobis, qui in ſenili & gracili corpore, oſſibus tantum & arida pelle illa tegente compacto, animum, mentem, ſpiritum, ingenii aciem, memoriam: & hæc omnia quidem nullo pacto annis & ſenio vel detrita vel imminuta, ſed fulgida, firma, vigentia, & ad omnia rationalis vitæ munia prompta adeo & expedita admirabamur, ut aliquot ſaltem annos prodigioſum ſenem nobiſcum victurum conſideremus. Verum raptus eſt: *placita enim erat Deo anima eius*, quam ipſe liberali & largo ſuæ Divinæ gratiæ munere, ſcientia, & doctrina cumulaverat, virtutibus ornaverat, religioſa vocatione ſelegerat. Et, ut ab hoc poſtremo exordiamur, Forojulii nobili genere natus, mundo nuncium remittens, in noſtra Congregatione religioſum amplexus eſt Inſtitutum, & expleto probationis anno, ætatis ſuæ decimo ſeptimo, ſua ſolemnia vota Deo nuncupavit. Florentiam deinde miſſus, in Cœnobio Sancti Miniati Philoſophiæ curſum explevit; dein ad ſuos revocatus, ſtatim in Theologicis ſtudiis tam præcipuum ingenii ſui ſpecimen exhibuit, ut cœperit apud noſtros & apud exteros inclareſcere. Quamobrem vix Lector renunciatus, a Venetis Sereniſſimæ Reipublicæ extra ordinem Legatis ad Ludovicum XV. Pariſios proficiſcentibus in Theologum electus, non conſentientibus ſolum, ſed & plaudentibus Ordinis noſtri moderatoribus, è florentiſſima illa regione uberes reportaturus fructus, illuc profectus eſt. Nec fefellit eventus; ad nos enim reverſus, & ſtudiis totus addictus, quantas charus noſter ſcientiæ & eruditionis divitias ſibi comparaverit, nullus eſt qui ignoret in tot iam voluminibus effuſas. Nullum eſt, pene dixerim, doctrinæ genus, quod non excoluerit, quod non poſſederit, quod non leviter illuſtraverit. Fidei dogmata propugnavit; Philoſophica, & Theologica ſtudia promovit; primus inter nos utramque Facultatem ſcholaſticis tricis nimis implicitam in nobiliorem formam reſtituit, dogmaticas & eruditas diſputationes ſcholaſticis addere & immiſcere quæſtionibus, ſuo nos exemplo docuit: quod poſtea ſubſecuti Theologi longe uberiore utilitate & profectu ſunt imitati. Divi Thomæ doctrinam, cui ſemper conſtanter adhæſit, illuſtravit, vindicavitque; ejus Operum accuratiorem editionem curavit, & diſſertationibus locupletavit. Hiſtoriæ quoque Eccleſiaſticæ plura & nova addidit monumenta; ſacram chronotaxim in nonnullis capitibus emendavit, aptius & verius digeſſit. Codices, diplomata, numiſmata, monetas, ſyngrapha, vel detexit, vel indicavit, vel publici juris fecit, atque explicavit. Græci quoque idiomatis non ignarus, aliquos Scriptores à mendis purgare potuit, & veræ lectioni reſtituere. Supra triginta ſunt volumina a Concellita noſtro eruditiſſime elucubrata, quæ nomen eius in literaria Republica clarum reddidere & celeberrimum. Ejus itaque fama totam Europam pervagata, Eruditorum amorem, exiſtimationem, benevolentiam illi promeruit; & ab omnibus magno in pretio habitus, à pluribus commendatus, à non paucis ad ſua erudita confirmanda placita tamquam idoneus teſtis adſcitus. Plura poſſem, ſi brevis noſtra pagella concederet, clariſſimorum Virorum nomina recenſere, qui charum noſtrum plurimi fecêre, encomiis celebrârunt, ornârunt laudibus: Lamium, Muratorium, Fontaninum, Mapheium, Ballarinos Fratres, Philippum a Turre Adrienſem Epiſcopum illi etiam arcta cognatione conjunctum, aliosque. At binos præterire non poſſum, quippe qui illum penitius cognoverunt & frequentârunt celeberrimos viros Apoſtolum Zeno, & ampliſſimum Senatorem ac erudititiſſimum Flaminium Cornelium, quorum prior fato functus non ſemel coram eſt illius ampliſſimam eruditionem admiratus; alter vero (quem D. O. M. communi bono diu ſervet incolumem) illum eſt ſua benevolentia & exiſtimatione dignatus.

Tanta profecto ſapientia, quæ *in malevolam non ingreditur animam, & effugit fictos*, non poterat virtutum ornamentis non eſſe ſociata. Mira fuit in tam eximio & celebri Viro modeſtia, ab omni faſtus & elationis umbra prorſus aliena: quippe qui cum ſublimiores poſſet ſibi polliceri

 dignitates

dignitates, honores, gradus: literario siquidem orbi celebris, à Pontificiis Legatis in honore habitus, à supremis Venetæ Reipublicæ magistratibus sæpius in arduis consultationibus adhibitus, eximia sperare poterat: & nihil certe erat in ipso, quo si voluisset a consecutione præpediretur; tamen non solum numquam expetivit, sed etiam oblata nobiliora subsellia, insignores cathedras, splendida munia, modestè quidem, at constanter recusavit. Eluxit etiam hæc præclara animi modestia in eius cultu atque convictu. Una siquidem contentus cellula, quam vilis abacus, abiectum sedile, humile cubile replebat: & sola copiosa librorum suppellex non ad pompam, sed ad studium parata, ornabat quidem, sed occupabat, ut sedens moveri vix posset, & advenientes etiam nobiliores viros angusto loco reciperet, in ea constanter supra quinquaginta annos moratus, numquam voluit commutare, licet in novo cœnobio commodiorem & ampliorem illi designatam decentius posset incolere. Communi semper victu usus est ac vestibus; immo juvenis tantæ fuit sobrietatis, ut triginta annis vinum non gustaverit, & cibo parcus, qui vix ad naturam sustentandam sufficere videretur. Solum in extrema senectute jejunia & abstinentias Ordinis temperavit, & ad consumptas vires reficiendas, leviores identidem potiunculas est frequentare coactus. Suam erga Deum religionem ac pietatem ostendit, tum in quotidiana Missæ celebratione, & quidem summo mane, non sine gravi incommodo, etiam rigidiore hyeme, in quo Superiorum jussa, & medicorum minæ, ut aliquoties ab ea abstineret, vix impetrare potuerunt: tum in reliquis divini cultus officiis, quibus sedulo cumulateque perfunctus est. Choro in divinis laudibus assiduus & in extrema senectute; regularis observantiæ studiosus, eam sartam tectamque servare studuit, & pro virili promovit. Quamobrem Collegium nostrum, totam nostram Congregationem suaviter atque sapienter bis est moderatus, cujus etiam initia, incrementa, statum, brevi quidem sed eruditissimo Commentario complexus, celebriorem effecit. Bibliothecam nostram, cuius perpetuam præfecturam gessit, copiosa & selecta librorum suppellectile ornavit, cumulavitque, pluribus quidem communi ære paratis, ut plurimis etiam amicorum & eruditorum liberalitate sibi donatis.

Sic quidem vixit charus noster; & quomodo objerit, non sinunt dolor & lacrymæ attingere, nedum enarrare. Hæc pauca habete. Nullo tentatus morbo, nulla est infirmitate sublatus: senium, ætas, necessitas moriendi extremum induxit agonem, quem vivido sensu cognovit, ac constanter subivit. Quantum eximia sapientia & doctrina in piis viris conferat ad Fidem, ostendit, quum exomologesi peracta, sacra illi fuit delata Eucharistia. Fidei siquidem tunc de reali Christi præsentia actum elicuit, ab intellectu quidem lumine Fidei illustrato elicitum, sed ab ardenti & flagrantissima charitate imperatum, quo adstantes omnes in admirationem rapuit, & ad lacrymas provocavit. Sacro est postmodum oleo delibutus, donec tandem tenui ad pectus reumatis affluxu præfocatus, inter Religiosorum preces, Deiparæ auxilium invocantium, quarto Kal. Februarii, surgente aurora, placidissime suo animam reddidit Creatori.

Unum superest ad Epistolæ coronidem, nimirum ut P. T. A. R. tuosque concellitas omnes enixè rogemus, ut pro tam eximio Viro de nostra Congregatione, immo de toto Ordine nostro, & Ecclesia benemerenti, non solum constituta persolvatis suffragia, sed illius in orationibus & sacrificiis vestris numquam obliviscamini. Valete.